



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Capvt III. De discrimine collectionis istius & Dionysianae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

dente recepta, perinde erat ac si ab initio eadem auctoritate canones suos constituisset. Neque enim confugiendum est ad conjecturas quas adhibet Baronius, qui putat Osum Cordubensem legatione Romana functum huic synodo interfuisse. Recensetur quidem ille in epistola synodica, sed permistus aliis Episcopis, & inter ultimos. quod non congruit dignitati sedis apostolicæ.

CAPVT III.

De discrimine collectionis istius & Dionysianæ.

IN eo primùm differunt hæ duæ collectiones, vetus & Dionysiana, quòd diversis canonum Græcorum translationibus utantur. In vetere quippe interpretatio canonum Græcorum eadem est omnino cum illa quam Isidori collectio præfert, quæque usurpatur in libris Capitularium; ut ex studiosa earum inter se collatione didicimus. Planè Dionysiana versio videtur esse accuratior & verbis magis affixa. Sed altera est elegantior; & verba quædam si alicubi dissimulet, alibi sententiam veram canonis, alioquin obscuri, feliciter patefacit. Hæcque est illa translatio cujus obscuritate adductum se

Dionysius fatetur ad novam condendam. Quamquam & alia quoque in manuscriptis codicibus reperiatur paulò obscurior hac nostra.

II. Alia sunt discrimina inter utramque collectionem quæ sunt majoris ponderis, & meram antiquitatem redolent. Secunda ergo differentia hæc erit, quòd canones apostolici absunt ab ista collectione, eo titulo quòd nullius essent auctoritatis, ut docet disertè superior præfatio. In quo illi egregiè convenit cum decreto Gelasii in synodo Romana, quo liber canonum Apostolorum inter apocrypha numeratur. Inde quoque præstans argumentum trahitur hanc esse collectionem canonum qua Gallicana Ecclesia utebatur; quippe quæ his canonibus Apostolorum careret, ut ex Gregorio Turonensi docuimus libro III. de concordia sacerdotii & imperii cap. IV. §. III.

III. At Dionysiana collectio canones istos, saltem priores numero quinquaginta, in occidentem invexit. Et ejus exemplo auctor Isidorianæ collectionis eodem numero & iisdem verbis cum Dionysio canones illos transtulit in suam, licèt in canonibus Græcis versionem antiquam sequatur: quæ cùm istis canoni-

bus apostolicis careret, necessariò ex Dionysii versione & collectione petendi fuerunt. Rationem facti sui hanc proponit Isidorus : *Denique propter eorum auctoritatem ceteris Conciliis præposuimus canones qui dicuntur Apostolorum, licet à quibusdam apocryphi dicantur : quoniam plures eos recipiunt, & sancti patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, & inter canonicas posuerunt constitutiones.* Quòd synodalem patrum auctoritatem laudat, de synodo Trulensi intelligendum est ; cujus decreto canones apostolici numero LXXXIV. recepti sunt in oriente. Priores autem quinquaginta, qui soli erant in occidente noti, nullum robur obtinuerunt, saltem in Galliis & Hispaniis, usque ad tempora Caroli Magni ; quando Dionysiana collectio, monente Hadriano Papa, vigere incepit in his regionibus.

IV. Tertium discrimen versatur in canonibus Sardicensis Concilii, qui loco quinto positi sunt in hac collectione post Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, & Gangrenses, & Antiochenos atque Laodicenses ordine antecedunt. Ancyrana, Neocæsariensis, & Gangrensis synodi vetustiores sunt Nicæna synodo ; sed istius reverentia factum est ut in capite collocetur. His quatuor succedit Sardi-

censis anno cccxlvii. quæ licet posterior Antiochena, (quæ coacta fuit anno cccxli.) illi tamen in hac serie prælata est ob dignitatem. Dionysius verò collectionis Græcæ interpretationem aggressus, in qua Sardicenses canones non habentur, eis post universos canones orientalium Conciliorum, licet tempore posteriorum, locum in sua collectione dedit.

V. Memoriae lectoris occurret quod superiùs adnotavimus de Leone primo, qui canones Sardicenses sub nomine Nicænorum orientalibus objiciebat. Ex quo sequi videtur ut aut de bona fide periclitetur ille, cum ex hac collectione, quam ejus auctoritati tribuimus, illi constaret liquidò alios esse Sardicenses canones, quinto loco positos, à Nicænis, qui frontem codicis occupabant; vel dicendum erit hanc collectionem posteriorem esse Leonis temporibus.

VI. Sed ex temporum discrimine pendet hujus difficultatis explicatio. Ante Concilium Chalcedonense data est epistola Leonis ad Pulcheriam anno cccxlix. ubi Nicænos canones cum Sardicensibus permisset, adeo ut querelæ literis illis comprehensæ, de fide violata, Flaviano oppresso, & restituto Eutychete, Mar.

cianum auctore Leone ad convocandum Chalcedonense Concilium adegerint. Post illud verò Concilium (quod habitum est anno ccccl.) & ex ejus præscripto aggredienda fuit nova collectio, in quam canones orientalium synodorum impingerentur. Tunc discutienda fuit ratio temporum, & suis quique Conciliis canones vindicandi. Quod egregiè factum est in hac collectione; in qua Sardicenses à Nicænis secreti sunt, & suis locis positi.

VII. Vnde quoque illud addiscimus, eos graviter falli qui Sardicenses canones universo orbi Christiano, etiam ipsi Romanæ Ecclesiæ, vel ignotos vel apocryphos fuisse docent usque ad tempora Dionysii Exigui, qui eos è tenebris in lucem primus protulerit. Etenim ista collectione, quæ antiquior est Dionysiana, in canonum auctoritatem recepti sunt per universas Ecclesias. Planè illorum usus receptus erat Damasi Papæ temporibus; ut patet ex synodo Romana & edicto Gratiani à Sirmondo publicatis, ubi causæ Episcoporum datis à Romano Pontifice iudicibus definiendæ constituuntur.

VIII. In Galliis invaluerant, licèt tacito nomine, ante Leonis tempora; cum ex ejus epistola ad Episcopos pro-

vinciæ Viennensis constet Gallicanorum
 Episcoporum iudicia per varias appella-
 tiones & relationes à Romanis Pontifici-
 bus retractata fuisse. quod initium aut ro-
 bur habuit à Concilio Sardicensi. Idem ju-
 ris obtinuit in Hispaniis ; ut patet ex epi-
 stola ejusdem Leonis ad Turibium Asturi-
 censem , qua synodum à quatuor provin-
 ciis Hispaniarum adversùs redivivam hæ-
 resim Priscillianistarum habendam indi-
 cit , nempe à Tarraconensibus , Carthagi-
 nensibus , Lusitanis , & Gallæcis ; adjecto
 quòd si quid obstiterit quò minùs possit
 celebrari generale Concilium , Gallæciæ
 saltem in unum convenient sacerdotes :
*Quibus congregatis , inquit , fratres nostri
 Idacius & Ceponius imminebunt , conjuncta
 cum eis instantia tua , quatenus de provincia-
 li conventu remedium tantis vulneribus affera-
 tur.* Indictio synodi & delegatio Idacii &
 Ceponii Episcoporum ut synodo immi-
 neant , canonum Sardicensium auctorita-
 te fulta est.

IX. Idem Pontifex per Mauritaniam
 Sardicensium canonum vigorem plenissi-
 mè exercuit , non solùm relationes synodi
 recipiendo , & responsis suis de relatis ne-
 gotiis decernendo , quod jus est antiquius
 ipsa synodo Sardicensi , sed cognitione de
 causa Lupicini Episcopi suscepta , qui ad

eum provocaverat ; quam definiendam synodo provinciali Mauritanix reliquit, eamque habendam indicit juxta ordinem præscriptum in Sardicensi synodo. Vnde quoque desumptum est quod adjungit, contra ecclesiasticam disciplinam superordinatum fuisse Episcopum Lupicino, pendente appellatione ad Romanam sedem.

X. Sed quid hæremus in temporibus Leonis ? Ipsa Zosimi, Bonifacii, & Cælestini tantò vetustior disputatio cum Africanis Episcopis pro recipiendis appellationibus Episcoporum, prolatis quoque ipsis verbis canonum Sardicensium, nonne apertè docent eorum apud Romanos auctoritatem ; imò verò & apud Africanos, qui tandem provocantibus consenserunt ; id unum deprecantes, ne faciliùs admitterentur, & causæ in provinciis judicarentur ; ut patet ex epistola ad Cælestinum.

Ceterùm postquàm collectio ista in lucem emerfit auctoritate Leonis publicata, Africana Ecclesia illius usum admisit, & canonum Sardicensium ut executionem, sic etiam & nomen : quamquam ignoti non essent olim in Africa canones Sardicenses, quorum unum Gratus Episcopus Carthaginensis laudavit in Concilio suo Carthaginensi.

XI. Collectionis ab Africanis usurpatæ breviarium sive compendium per varios titulos digestum composuit Ferrandus Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis ; & post illum breviationem alteram canonum Ecclesiæ Africanæ concinnavit Cresconius.

XII. Duæ illæ collectiones in eo differunt quòd posterior usa est collectione Dionysiana , laudatis tum Apostolorum tum Africanis canonibus juxta seriem numerorum qui extant apud Dionysium. Sed Ferrandus, Dionysio vetustior, antiquam collectionem secutus est, quæ canonibus apostolicis carebat, quos auctor ille nunquam laudat ; licèt Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, & Laodiceos titulis suis distinctos adhibeat ; omissis quoque canonibus Constantinopolitanis. Quæ omnia collectioni nostræ congruunt, & manifestè probant illam à Romanis in Africam transmissam fuisse : cui Africani suos canones, alio longè ordine quàm habeantur in Dionysiana collectione, suis usibus profuturos adjunxerunt.

XIII. Porrò in breviario Ferrandi canones Sardicenses, illique præcipuè qui de provocationibus Episcoporum ad Romanam sedem decernunt, disertè laudantur.

tur; quos ille non potuit unâ cum cano-
nibus orientalibus publicare aliunde de-
promptos quàm ex collectione recepta,
cujus ipse compendium exhibet; quæ
prorsus eadem est cum hac nostra.

Ex ista quoque vetere collectione Theo-
doretus Episcopus Cyri hausit canones
Sardicenses, quos laudat numero XXI. in
compendio canonum per quinquaginta
titulos digestorum. Quæ collectio Theo-
doreti existat M S. in bibliotheca Regis
Christianissimi: de qua diximus in capite
III. §. VIII. libri III. de concordia sa-
cerdotii & imperii.

XIV. Quartum discrimen est, illud-
que maximi momenti, quòd Dionysii
codex tres canones synodi Constantino-
politanae secundae ex codice Græco tran-
scriptos exhibet; in quibus Thracicae,
Ponticae, & Asianae dioceseon privilegia
sic confirmantur ut primatus tribuatur
Ecclesiae Constantinopolitanae, fiatque
secunda post Romanam, ea ratione ad-
jecta, quoniam Constantinopolis est no-
va Roma. Sed canones isti in hac vetere
collectione penitus desiderantur. Ex quo
solo capite illius veritatem colligere &
genuinam Romanae Ecclesiae collectio-
nem hanc esse demonstrare licet.

XV. Quippe nota est vehemens illa

dimicatio quæ in Concilio Chalcedonen-
 si inter Aëtium Archidiaconum Ecclesiæ
 Constantinopolitanæ & Legatos Roma-
 nos exarsit ob canonem xxviii. quo præ-
 ter Metropolitanarum ordinationes in tri-
 bus illis diœcesibus ascriptas sedi Con-
 stantinopolitanæ, exæquata erant privi-
 legia utriusque sedis, etiam in rebus ec-
 clesiasticis, eò quòd nova Roma senatu
 & imperio, æquè ac senior Roma, poti-
 retur, hoc solo excepto quòd Ecclesia
 Constantinopolitana secunda esset post
 Romanam. Legatis illa se absentibus clam-
 culum gesta & per vim ab Episcopis ex-
 torta conclamantibus, magistratus Prin-
 cipis interlocuti sunt, ut quibus se cano-
 nibus tueretur Aëtius, proferret in me-
 dium: qui synodicum synodi Constanti-
 nopolitanæ exhibuit, & ex eo relegi fe-
 cit tres canones qui extant apud Diony-
 sium, omissis aliis quos ultima collectio
 Græcorum continet.

XVI. Legati, post prolatum cano-
 nem sextum Nicænum, cùm iudicum cog-
 nitorum sententia irritam vidissent in-
 tercessionem suam, se ad sedem apostoli-
 cam omnia relaturos contestati sunt. Leo
 totius rei certior factus, Anatolii Patriar-
 chæ superbos conatus seria oratione com-
 pressit, & inter cetera asseruit canones il-

los Constantinopolitanos nunquam ad decessores suos relatos fuisse aut ab iis probatos. Aiebat quidem Eusebius Episcopus Dorylæi, in actione ultima Concilii Chalcedonensis, canonem istum Constantinopolitanum Leoni gratum fuisse. *Hanc regulam, scilicet synodi Constantinopolitanæ, sanctissimo Papæ in urbe Roma ego relegi, inquit, presentibus clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit.* Sed insinuatio ista privata, quando agebatur de causa Flaviani Constantinopolitani per summum scelus à Dioscoro Alexandrino damnati, ut faciebat ad augendam hominis audaciam, qui dignioris Ecclesiæ Episcopum oppresserat, quæ dignitas canone Constantinopolitano probabatur, sic obtinere non poterat ut canon ille publica auctoritate Romanæ Ecclesiæ receptus dici posset.

XVII. Successit tandem collectio Dionysii, quæ occidenti canones illos Constantinopolitanos à corpore Græcorum desumptos publicavit, Id tamen non fuit impedimento quin Gregorius Magnus Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani temeritatem comprimens, professus sit canones synodi Constantinopolitanæ, quibus ille nitebatur, nunquam ab Ecclesia Romana receptos. Quod

sanctus ille vir asserere potuit & debuit, quoniam collectio illa vetus, quæ publici juris facta fuerat, canones illos ut repudiatos & ab apostolica sede rejectos non continebat. Alioqui si sola Dionysii collectione, quæ tunc manibus omnium terebatur, usa fuisset Ecclesia Romana, retorqueri potuisset in Gregorium tres illos canones, ut pote non expunctos, juris publici factos. Quam exceptionem elidere poterat prolatis contrariis instrumentis vetustioribus, nempe collectione isthac à Leone approbata, quæ illis omnino caret.

XVIII. Quod attinet ad canones Concilii Chalcedonensis; utraque collectio, tum vetus, tum Dionysiana, solos viginti septem continet, omisso XXVIII. qui ob Leonis reprobationem nunquam in canonum censum adscriptus est; neque etiam apud orientales, ut patet ex Dionysio, qui collectionem illorum in Latinam linguam vertit. Vnde Theodoretus in sua synagoge & Theodorus lector viginti septem numero canones Chalcedonenses concludunt. Synodus deinde habita in Trullo vigesimum octavum in auctoritatem recepit; cum antea ejus mente & sententia tantum Constantinopolitanam uterentur, fulti potestate Imperatoris, ut

adnotavit Liberatus in breviario, & nos
uberius diximus libro III. de concordia
sacerdotii & imperii cap. III. §. v.

XIX. In neutra verò collectionum,
Ephesini Concilii fit mentio : quoniam
cum nullos ad disciplinam pertinentes
canones ediderit, sed tantum fidem rec-
tam adstruerit adversus insaniam Nesto-
rii, non erat cur anathemata contra hæ-
resim ejusque fautores corpori canonum
adjicerentur.

CAPVT IV.

De Canonibus Africanis.

I. **I**N canonibus Africanis enumeran-
dis immensum est discrimen. Col-
lectio vetus eos canones exhibet quos Ec-
clesia Romana recepit, eadem serie &
ordine quo sunt in Conciliis Africanis
editi; omissis canonibus ceteris, quibus
edendis defuit auctoritas Ecclesiæ Ro-
manæ.

II. Quod ut liquidius intelligatur,
sciendum est præsentem Faustino Legato
Romanæ sedis habitam fuisse synodum
universalem totius Africæ, quæ sexta di-
citur, sub Aurelio Carthaginis Episcopo :
in qua relecti sunt canones illi omnes qui